ANALYSIS LIBRI III COD. DE IURE REIPUBLICAE: LIB. XI

Gottfried Stösser, Johann Wilhelm Mertz

REIPVBLICÆ S. ROM. IMPERII

LVMINIBVS

ET

COLVMINIBVS

OPT. MAX.

EMINENTISSIMO ET
SERENISSIMO PRINCIPI ET DOMINO
DOMINO
JOHANNI PHILIPPO
S. SEDIS MOGVNTINÆ
ARCHIEPISCOPO, SACRI
ROMANI IMPERII PER
GERMANIAM ARCHICANCELLARIO
ET
ELECTORI,
EPISCOPO WÜRTZBURGENSI,
ET
WORMATIENSI
FRANCIÆ ORIENTALIS
DVCI, &c. &c. &c.

ET

REVERENDISSIMO CELSISSIMOQUE PRINCIPI ET DOMINO DOMINO


LOTHARIO FRIDERICO,

EPISCOPO SPIRENSI, COADJUTORI AC SUCCESSORI MOGUNTINO, PRÆPOSITO WEISSENBURGENSI ET ODENHEIMENSI

SACRI ROMANI IMPERII PRINCIPI &c. &c. &c.

DOMINIS MEIS CLEMENTISSIMIS DEVOTISSIMA OBSEQUIA.

EMINENTISSIME PRINCEPS ELECTOR ET REVERENDISSIME PRINCEPS COADIVTOR PRINCIPES ET DOMINI MEI CLEMENTISSIMI.


I has pagellas dignas putarem quæ Veſtris offerrentur oculis, merito aditu

aditu Veſtro ceu ineptum & impudentem, arcerent me, qui Vobis ſunt ab admisſionibus. Sed longè alia eſt huius conſilii ratio. Quis enim miretur, ſi homo qui ſe Vobis natum meminit, qui Vobis viuere & ſeruire, vnam voti & fati ſui legem agnoſcit, Veneranda omnibus ſæculis nomina Veſtra, ſemper in animo, ſemper in lingua habet, & â ſacro Veſtro ore ſpiritum ſuum pendere cupit? Hæc quam cum ipſa vitali aura hauſi, quam inſtitutione ac diſciplina meditari ac firmare ſtudui, pietas nec DEO ingrata, nec qui DEI vices in terris gerunt, magnis Principibus ſolet

aſper-

aſpernabilis videri. Et ſane de JVRE REIPVBLICÆ, mihi Juſtiniano nouo commentanti animus ſponte altius erigi cœpit, ut ad Nobiliores & excellentiores pro republica Regnatrice curas, quibus animi Veſtri continenter occupantur, reſpicerem, & quæcunque Auguſtisſimo Imperatori, & Imperio profutura deſtinatis conſilia, bene feliciterque euenire, optarem. Non decebat disiungi nomina, quæ in Eccleſiæ ac Imperii ſalutem DEVS & homines Diuino ductu gubernati, & vota Reipublicæ, qua nulla eſt in toto orbe auguſtior, coniunxerunt, & ne-

ceſſi-

cesſitudine priuatis modulis inenarrabili colligarunt. Hoc eſt ipſum publicum Prudentiæ & virtutis Veſtræ ſummæ teſtimonium; quod coniungi, quod una conſpici, vna coli, volupe Vobis eſt. Sed mihi aliud nihil eſt propoſitum, quam ſupplicare EMINENTIÆ ET CELSITVDINI VESTRÆ, ut ignoſcere velitis, quod pietatis Vobis deuotisſimæ impetus non potui continere quin erumperent, & in publica vota redundarent. Deus firmet Rempublicam, id eſt, Vos duo columina Reipublicæ, ſufficiat. Deus illuſtret Rempublicam, id eſt, Deus Vos,

 bina-

bina ſidera lucere faciat ab oriente in occidentem, ab annis ad annos, donec cœlum ſtellis ſplendebit, mundus virtutibus ornabitur, fama meritorum prædicatione perſonabit. DEVS Vos conſeruet, EMINENTISSIME ET REVERENDISSIME PRINCIPES, Imperio, terris ditionis Veſtræ, & mihi clientum & ſeruorum

EMINENTIÆ ET
CELSITVDINIS
VESTRÆ

minimo ſubjectiſſimoq;
Joanni Wilhelmo Mertz
Moguntino.



I. N. D. N. J. C.

ANALYSIS LEGIS III. COD.

DE

JVRE REIPVBLICÆ

LIB. XI.

TEXTVS.

IMPERATOR ALEXANDER A. SALVININO.

REmpublicam, vt pupillam, extra ordinem iuuari, moris est. *Verba Legis*

EXPLICATIO VERBORVM.

Verborum Explicatio

A*Lexander Imperator*] intelligitur sine dubiò hic Alexander Seuerus Mammææ filius, inter bonos legislatores & diligentes habitus: cujus vitam *Lampridius* & *Herodianus* aliique tradidere. Factus est Imperator A.C. 222. Occisus 235. Tempus rescripti præcisè acceptum, ex historia reperiri nequit.

Augusti cognomen ex merito partum, hic quoque loco & causâ solenni apparet.

De Saluinino, cui rescripsit Imperator, mihi nihil compertum. *Cujacius* in comment. ad h. l. pro Saluinino reposuit *Saturninum*.

Sed nobis non tam quis & cui rescripserit, quam sententia Rescripti cordi esse debet.

Igitur loco generalium verba legis explicabimus.

Rempublicam] intellige non Romanorum, secundum quosdam, sed verius aliarum ciuitatum. *Perezius* ex serie titulorum ostendit: *Antecessit*, inquiens, *de juribus & Priuilegiis utriusque Romæ & Alexandriæ ciuitatis, sequitur de Iuribus aliarum ciuitatum, nam Respublica hic de ciuitate accipitur. Quid hærent hic interpretes?* ait *Cujacius*: *Respublica quamlibet ciuitatem significat.* Quo sensu etiam toto hoc titulo accipitur vox Reipublicæ. Accedit quod de ea restitutione sermo est, quæ fit per iudicem aut Principem: siue de ea, in qua restituens superior intelligitur. Igitur non potest propriè intelligi Respublica in excellenti illo significatu sumpta, quo neminem recognoscit superiorem. Vnde nec talis Respublica restitui potest aduersus Principem *L. ult. C. qui & aduers. quos.* imò talis Respublica implorat auxilium *L. 4. C. quib. ex caus. maj.* At Respublica αὐτόνομος non implorat auxilium superioris, quem neminem agnoscit. Quid Respublica hic notet, Vid. *D. Ioann. Mauricius de restitut. in integr. Cap.* 417. quid juris sit in villis & castris, an hæc Jure Reip. vel minorum habenda, quærit & post multa & varia allegara, adhibita distinctione decidit *Sichard. ad C. l. 4. quib. ex caus. maj.*

Subauditur autem hic, *Læsam, circumuentam*. Non enim restituitur, nisi qui læsus & circumuentus est, Vocibus

cibus his liberalius sumptis. Potest enim aliquis lædi à se ipso, dum ἐμποδίσματα plenæ voluntatis varia objici possunt. Non autem semper enormem læsionem requiri, sed restitutioni locum esse, etiam ubi modicum damnum minor subierit, pro qualitate personæ & negotii, tenent *Rebuffus gloss. 2. Tom. 3. Tractatuum de restit. in integ. & Gabriel Mudæus ad L. minoribus C. in quib. Caus. rest. ibid. p. 70.* Contrarium tenet *Ioann. Petr. de Ferrariis ibid. p. 201.*

Extra ordinem juvari] id est restitui in integrum. dicitur in *L. 8. D. de minor. Auxilium, opitulatio, L. 1. pr. L. 3. §. 4. & auxilium extraordinarium L. 16. pr. D. eod. Succurri* etiam dicitur restituendis *L. 108. D. de. R. I.* Est enim restitutio in integrum *remedium extraordinarium, quo prætor æquitatem naturalem secutus, homines vel lapsos, vel circumscriptos, siue metu, calliditate, siue ætate, siue absentia, siue minima status mutatione, siue alienatione judicij mutandi causa facta, siue justo errore, aut alia justa causa inciderint in læsionem, in eum statum, in quo ante læsionem erant, causa cognita reponit.* Quam descriptionem ex ipsis legibus extruxit *Nucleus Amplissimi Biccij Lib. 4. pr.* definit & explicat definitionem fusè *D. Ioann. Mauricius de Rest. in integ. c. 1. & Franciscus de Caldas in comment. analyt. ad L. si curatorem C. de in integr. rest.* Extraordinarium remedium vocari nonnulli statuerunt, ideo quod juri communi & æquitati contrairet: sed refutantur *à Ioanne Mauricio cap. 2. Sfortia Oddo part. 1. Q. 1. Art. 14. Francisco de Caldas, in comment. analyt. in L. si curatorem C. de in integ. rest. minor.* verbo *implorare in integ. restitut. n. 8. tractatuum de in integ. Rest. Tom. 4.*

Moris est] id est juris consuetudine introducti:

 Princeps

Princeps enim eas lèges obtinere voluit, quas vel Judiciorum frequentissimus ordo exposuit, vel longa consuetudo Vrbis Romanæ approbauit *L.* 2. §. *nulla itaque C. de V. I. E.* Quin & Imperator id statuit in Legis constitutione, quod moris siue consuetudinis est: plenius id exprimit *l.* 4. *quib. ex caus. maj.* ibi Respublica minorum Jure uti *solet* id est usu obtinuit, ut utatur.

Vt pupillam] alii legunt *pupillum.* dicitur pupilla quæ infra 12. & pupillus infra 14. ætatis annos consistunt *pr. Inst. quib. mod. tut. fin. l. fin. C. quand. tut. vel Curat. l.* 4. *D. de ritu Nupt.*

Cur non dixit Imperator; *Rempublicam ut minorem* remedio extraordinario juvari, verum est? sicut dixerunt antea Imperatores in lege huc ἐκ παραλλήλου pertinente: *Respublica minorum jure uti solet, ideoque auxilium restitutionis implorare potest l.* 4. *C. quib. ex caus. maj.* Respondebo primum, nec interrogari hoc recte neque responderi scientificè posse. 2. Si aliquid tamen dicere licet, conveniunt hactenus pupilli & minores quod omnis pupillus minor: licet non contra. Vnde vocabulum pupilla in hoc loco non dispositivum sed enunciativum esse credit *Dn. Neuenhan, cum quod hic de pupilla dicitur, illud alibi de minoribus efferatur.* apud *Fritsch. l. P. part.* 2. *exerc.* 2. *th.* 23. *de jure Reipublicæ.* 3. quia utraque vox *minorum & pupillorum* ad favorem restituendorum comparata est, possit in pupilli appellatione plus favoris existimari: quo enim minor ætas, eo major συμπαθείας causa & uberior æquitatis ratio.

Quanquam hæc comparatio Reipublicæ & pupilli non debet extendi ultra scopum: videturque exempli potius causa, quam particularis per membra congruentiæ ergo fieri.

Habe-

Habemus ſenſum legis: *Civitates vel Reſpublicas ex læſione reſtitui in integrum ut minores.* Rationem legis duplicem affert laudatus modo *Dn. Neuenhan*: 1. *quia in Republica multi inveniantur pupilli & minores, quibus reſtitutio in integrum competat.* 2. *quia Reſpublica adminiſtratores habeat, qui loco tutorum & curatorum ſint.* Ratio prior remotior videtur, nec ſatis validæ conſequentiæ, ſi dicas, cujus pars aliqua reſtituitur, illud totum quoque reſtituitur.

Progredimur nunc ad ſpecialia, & *caſum* ponamus: & quem potius, quam illum ex *Gloſſâ Viuiani*: *ad L. 4. Cod. quib. ex cauſ. maj. Procurator Reipublicæ ciuitatis Romæ contraxit & deceptus eſt, an Reſpublica reſtitui poſſit, quæritur: R. quod ſic. exemplo minoris, cui poteſt comparari Reſpublica.*

Rationes dubitandi non leves adferri poſſunt. I. quia *tres reſtitutionum cauſæ*, nempe *vis metusque, lubricum ætatis, error* (*V. Iacob Gothofred ad l. 116. comment.* ad R.I.) non æquè videntur cadere poſſe in Rempublicam ut in minores. Certe tales caſus in legibus vix ſpectantur. Et quando procurator in contrahendo deceptus eſt, non ipſa Reſpublica erravit. Ita ſi Syndicus Reipublicæ in jus vocatus ab initio quidem defenſioni interfuerit, poſtea autem cauſam deſeruerit, nec vis, nec error interceſſiſſe videri poteſt. Lubricum autem ætatis de Republicâ dici nequit. *Rationes dubitandi.*

II. Civitati ſeu Reipublicæ, etiamſi detur reſtitutio, obſtat tamen exceptio SCti Macedoniani *l. 15. D. ad SC. Maced.* quæ minori non obſtat. *l. 11. §. 7. de min.*

III. Reipublicæ non conceditur reſtitutio adverſus fiſcum, quæ tamen minori conceditur. *l. 45. §. fin. D. de Iure fiſci.*

IV. Pu-

IV. Pupillo non currit præſcriptio *l. fin C. quib. in cauſ.* Reipublicæ currit, *l. 4. C. de præſcript.* 30. *vel* 40. *annor.*

V. Minori datur majus tempus. *l. 7. C. de temp. reſt.* quàm Reipublicæ *Clem. 1. de reſtitut. in integrum.*

VI. Minores habent tacitam hypothecam in bonis curatorum. *l. 20. C. de adminiſtr. Tut. l. un. §. 1. C. de rei uxor. act.* ciuitas non habet in bonis adminiſtratorum *l. 2. C. de Iure Reip.* niſi ex ſpeciali priuilegio

VII. Sunt qui Reipub. reſtitutionem in contractibus ſimpliciter denegant, V. *Treutlerum Diſp.* 11. *theſ.* 8. *in fin.*

VIII. Colliguntur & alia in quibus Reſpublica plus juuari ſolet quam pupillus, vt comparatio iſta non æquis pedibus currere videatur.

IX. Poſſet & inde argui hæc ratio legis quod Respub. jure minorum utatur, quia non minores tantum, ſed majores quoque in integrum reſtituantur *l. 3. C. quib. ex cauſ. maj.* plures dubitandi rationes, ſubjunctis refutationibus proponit *Sichard. ad Cod. l. 4. quib. ex cauſ. major.*

Rationes decidendi.

Pro *Rationibus decidendi* valere poſſunt ſequentia. I. Qui ex æquo ſæpius & facilius per eos quorum opera utuntur, lædi ſolent, illis ἀνάλογος idem remedium attribuitur. Sicuti autem minorum fragile & infirmum conſilium & multis captionibus ſuppoſitum, multorum inſidiis expoſitum eſt, qui propterea extra ordinem juuantur *pr. D. de minor.* ita Rempublicam, adminiſtratorum & Syndicorum, quibus ſua committit negotia, culpa ſæpè deſertam aut circumſcriptam eſſe, vel caſus

legum

legum in D & C. ubi de ciuitatum administratoribus & negotiorum gestoribus agitur, abundè testantur, quæ res ex pari æquitatis fundamento parem legislationem peperit.

II. Jus minorum, ut in *l.4. C. ex quib. caus. maj.* appellatur, est jus fauorabile. Fauores autem, quo ad plures porriguntur, eo plus rationis videntur habere. Vnde summa ratio est, quæ pro Republica facit, & pro jure Reipublicæ, supremæ quidem potissimum, à qua in subditos sparguntur fauoris publici radii. Facit huc grauissima Imperatoris sententia *Nouella de mandatis Principum XVII. c. 1. sicut priuatos injustitiam passos adjuvamus, ita & publicum illæsum manere volumus.*

III. Quapropter in pluribus rebus aptè à minoribus ad rempublicam deducta est juris ratio e. g. sicuti debitor pupilli non accedit ad tutelam *Auth. minoris debitor. C. qui dari tutores possunt.* ita nec debitor Reipublicæ ad administrationem aut honores admittitur. *l. 6. §. 1. D. de munerib. & honor. l. 1. C. de debit. ciuit.* Sicut tutor tutelam gerere cogitur. *l. 1. D. de adm. tut.* sic in Republica cogitur quis munus injunctum gerere. *l. 9. D. de mun & hon. l. 18. C. de decurion. lib. 10.* Minores & Reipublicæ administratores de non liquido transigere possunt. *l. 56. §. 4. D. de furt. l. 12. C. de Transact.* sententia contra minores & Rempublicam indefensos nulla est. *l. 1. C. de Iure Reip. lib. XI. l. 6. C. quomodo & quando Iudex.* præscriptio quinquennii contra statum defuncti utrique currit. *l. 6. C. ne de statu defunct.* utrique edictum ædilitium datur. *l. 1. §. 3. 4. 5. D. de ædil. edict.*

Nec valide obstant quæ ante sunt allata. Ad I enim possis dicere, non enumerari omnes causas restitutio- *Respondetur ad rationes dubitandi.*

tutionum, ſed præcipuas à *Gothofredo.* Neque rectè iſta verba excluſiue accipi. Deinde cur non poſſit Syndico aut procuratori Reipublicæ metus injici, aut vis inferri, non videmus. Quamvis enim rarioris generis ſit hic caſus, pro impoſſibili tamen haberi nequit. De errore res eſt etiam manifeſtior. Quamvis enim non præſumatur Reſpublica tam facile labi, tamen, ſi de læſione conſtat, quod hîc ſemper intelligitur, fruſtra de eo loquimur, quod præſumatur aut non præſumatur. Ita habemus rem definitam in ſimillimo caſu, ubi is, *qui ſe minorem annis læſum eſſe dicit, diligens paterfamilias fuerit actibusq; publicis induſtrium ſe docuerit, ut lapſum eum per ætatem veriſimile non ſit*: reſcribit Imperator: *Verum ſi causâ cognitâ circumuentus deprehendatur, à ſolito auxilio removeri non debet. l. 1. C. qui & aduerſ. quos in integr. reſt. non poſſ.* Caſum *Viuianus* diſertè format: *ſi minor in contractu, quem facit, dicat ſe læſum, & velit reſtitui, aduerſarius autem dicat, non eſſe veriſimile eum deceptum eſſe, cum fuerit ſapiens, induſtrioſus, & publicis actibus interfuerit: judex iſta conſiderare debet, vt ſic concedat, vel deneget reſtitutionem in integrum, cum cauſa tamen talis non ſufficiat, vt prorſus non reſtituatur. Sed ſi appareat eum euidenter eſſe læſum & circumuentum, reſtituatur non obſtante exceptione tali.*

Quæ loco 2. 3. 4. 5. 6. oppoſita ſunt, nihil officiunt veritati legis ſiue comparationi minorum cum Republicâ. Comparatio eſt enim non omnimoda, aut per omnia juris de utriſque conſtituti capita extendenda: ſed in certis tantum punctis. de cetero partim *minus juuatur* Reſpublica, partim *plus juuatur*, quam minores. quod ſingillatim oſtenditur, *Exercit. 2. de Iure Reip. part. 2. I. P. Fritſch. à theſ. 34. uſq; ad* 41.

Ad

Ad 7. Videmus *Treutleri* ſententiam ſingularem eſſe, & aliorum contra ſentientium authoritate obrui. Videatur *laudata modo Exercitatio theſ.* 121. *& ſeqq.*

Valent paulo ante dicta etiam aduerſus 8. objectionem.

Nona (9.) etiam nihil habet roboris. reſtitutio in integrum, jus minorum dicitur ſiue in comparatione etiam Reipublicæ ad minores & pupillos refertur, ex præcipua quadam deſtinatione legislatoris & judicis: ita ut in ipſo nomine *minorum*, ratio æquitatis naturalis ſe conſpiciendam & exaudiendam præbeat. Licet ergo ad majores quoque ex certis cauſis reſtituendos hoc auxilium productum ſit, apertior tamen ratio conſuetudinem loquendi & comparandi ad jus minorum traxit. Atque hæc hactenus paucis repetita, & ab aliis copioſius pertractata ſunt.

PARS SECUNDA.

I.

Nunc videndum eſt, an *etiam Reſpublica neminem agnoſcens ſuperiorem, aut Rex, aut populus liber, atrociter læſi, reſtitui in integrum poſſint.* Quo legem noſtram Dd. non pauci producunt. *Et Ludouicus Molina de contractibus tract.* 2. *diſput.* 574. *§*. 4. *Reſpublica*, inquit, *inſtar minoris gaudet priuilegio reſtitutionis in integrum, & eadem ratione Princeps non recognoſcens ſuperiorem, quod ad bona coronæ & fiſci, quæ reputantur Reipublicæ bona, & vere ſunt bona ejus Reipublicæ, quæ non eſt Monarchia, quæ unico Principe ſeu capite regatur. Secus autem res habet de bonis ſupremi Principis, quæ non poſſidet quatenus Princeps, & ut bona Reipublicæ, ſed perinde ac cæteri priuati ſua bona poſſident.*

II.

Vtimur autem & hic authoritate eorum qui ita ſentiunt: non quod ex *l. 3. C. de Iure Reip. Lib. XI.* aut textibus Juris ciuilis parallelis Princeps aut Respublica libera in integrum reſtitui poſſit: id enim actioni & Judicio in Jure Juſtinianeo deſcriptis non eſt conſentaneum. Sed exiſtimamus concedendum hoc prudentibus, ut ſtatuant, ad exemplum quo Respublica, Romanæ Reipublicæ ſubdita, reſtituitur, ſuo quoque modo reſtitui ipſam Romanam Rempublicam, ſiue Imperatorem Romanum, Regem aut populum liberum. In qua quidem comparatione magna verſatur de cætero diuerſitas: æqualitate in hoc tantum incumbente, vt ſicut minores reponuntur in eum ſtatum quo ante læſionem erant, ita Princeps aut populus circumuentus læſusue redeant in eum ſtatum, quaſi nihil, quo læſi ſint, accidiſſet.

III.

Vnde nec apud Prætorem & Magiſtratum nec apud judicem, quem Reges & populi liberi nullum habent, fit hæc reſtitutio, ſed ipſe Princeps, ipſa ſe Respublica reſtituit.

IV.

Vt credatur autem hoc fieri poſſe remouenda eſt maxima dubitatio, quam nobis objicit communis Jurisconſultorum ſententia, quod *Reſtitutio in integrum ſit fœtus juris ciuilis.* Controuerſiæ autem Regum & liberorum populorum, nullum communem judicem habentium, non tam jure ciuili, quam jure naturæ & gentium reguntur, aut, quia ſic quoque non ſemper factis ex voto applicari hæc jura, aut arbitrali ſententia ad effectum deduci poſſunt, armis diſceptantur. Atque hac

ratione

ratione contra Bodinum utitur *Hugo Grotius de I. B. l. 2. c. 14. §. 1.*

V.

Est interim sine dubio verior sententia altera, quæ restitutionem in integrum non juris modo ciuilis sed etiam *Juris naturalis* esse statuit. in quo genere sæpè dissentiunt scriptores. Ita e. g. præscriptionem Jure tantum ciuili niti, communis; Jure naturæ eam fundari, verior sententia est. Et de restitutione in integrum quidem non fuerit arduum probare quod diximus. I enim in ciuilis quoque juris restitutionibus in integrum *Vlpianus* ait, *prætorem sequi æquitatem naturalem* L. 1. *D. de min.* Si ergo in priuatis & minoribus inter priuatos rebus æquitas naturalis parit jus ciuile de hoc auxilio extraordinario: Cur non valeat siue juris vim obtineat in majoribus publicisque Regum populorumque negotiis, quo jus ciuile pertingere non potest? II. Non Prætor tantum in Jure ciuili dixit, *quod vi metusue causa gestum erit, ratum non habebo l.* 1. *D. quod met. caus.* Sed ante prætorem ipsius naturæ hæc vox erat, quæ per vim metumque gesta, rata esse vetabat, eademque opera restitui hoc pacto læsum volebat. Ita dolum & cetera, quæ restitutioni causam præbent, natura ultro damnat. III. non quidem extendi hoc cupimus ad omnes casus causasque, ubi Jus ciuile restitutionis auxilium expedire potest: sed ad omnia negotia & læsiones, ubi læsum restitui euidens æquitas postulat. Huic enim parere vitam socialem gentium & populorum, verum est. IV. Si jure naturæ ipso actus irriti reddantur, quibus error & circumuentio originem dedit, sequitur quod restitutionem in integrum etiam natura præcipiat.

 Qua-

VI.

Quare *Bodinus de Repub. lib. 1. cap. 8. ſtatuit ex iisdem cauſis quibus priuatus ac ſubditus quiſque in integrum, ſi capti ſint, Principem poſſe reſtitui ſiue aliena fraude ac dolo ſiue errore ſiue metu circumuentus eſt, non tantum in iis quæ ad jura Majeſtatis imminuta, ſed etiam in iis quæ ad priuata commoda, rationesque domeſticas attinent.* ſicut enim ſibi poteſt ipſi jus dicere Princeps, ita & reſtituere ſeipſum poteſt. Ita in terminis *Sfortias Oddus part. 1. quæſt. 3. artic. 14. Tom. 2. Tractatuum de in integrum reſtitutionibus.*

VII.

In hac *Bodini* ſententia recipienda illud nolim admittere, *quod ex omnibus cauſis, quibus priuati reſtitui poſſunt, etiam Princeps reſtituere ſe poſſit.* Ciuilis enim lex ex arbitrio legislatoris & certis cauſis ſpecialibus reſtitutionem decernere poteſt liberalius. At in Principum cauſis euidens & manifeſta æquitas ſpectatur. Quapropter etiam læſio atrox extra omne dubium conſtituta eſſe debet, ut huic remedio locus ſit: &, ſi fieri poteſt, Principi ſuadendum eſt, ut peritorum judicium audiat, qui nullo ipſi ſacramento obligantur, modo quo fieri poteſt tutiſſimo: tum ut famæ ſuæ ſtudioſiſſime rationem habeat, ne calliditate potius & injuſtitiâ, quam extraordinario & neceſſario jure uſus eſſe videatur.

VIII.

In hac quæſtione autem ita incedunt, ut hanc regulam ponant: *in quibus Princeps deceſſor ſe reſtituere, reuocatis in irritum, quæ fecerat, poteſt: in iis etiam ſucceſſor, ad quem læſio facto deceſſoris contracta pertinet, ſe & Rempublicam reſtituere poteſt.*

IX. *In*

IX.

In donationum immodicarum, unde Respublica læditur, exemplo plerique consentiunt. Videri possunt exempla apud *Arnisæum de jure Maj. lib.* 1. *cap.* 7. §. 7. *& Grotium de Iur. B.* 2. 14. 12. *in Not.* In Galliis anno 1560. in principio regiminis Caroli IX. Regis *ordines rogati sunt voce Cancellarij Hospitalij, ut dissoluendi æris alieni à superioribus Regibus contracti ratio inter eos iniretur; hoc addito, minime recusare Regem, & circa eum proceres, quin si comperiatur nimiis donationibus & immensis largitionibus exhaustum ærarium, ad earum restitutionem, qui acceperunt compellantur.* apud *Thuan. l.* 27. *p.* 12. *Anno* 1480, Toleti in Hispania *generales conuentus agitati omnino frequentes. Voces liberæ fuerunt & plenæ expostulationum: nobiles in tenuiorum fortunas grassari populi conquerebantur, eorum auaritia regium ærarium exhaustum, occupata vectigalia, imperari noua indies, magnâ Prouinciæ calamitate. Dati in causa judices, ab Henrico Rege factas imprudenter donationes aut temporum necessitate extortas, injustas fore pronuntiarunt.* apud *Io. Marianam Hist. Hisp. Lib.* 24. *c.* 21.

X.

Allata exempla ad donationes potissimum pertinent. ad quas Principes possunt induci deceptoriis persuasionibus, ita ut maximo ipsi denique damno afficiantur, & status Reipublicæ periclitetur. Text. elegans *in L.* 1. *C. de petit. bonor. sublat. lib. X. ibi. quoniam plerunque ita in nonnullis causis inuerecunda petentium inhiatione constringimur, ut etiam non concedenda tribuamus, nec Rescripto quidem nostro aduersus formam latæ legis, loci aliquid relinquatur:* Quo casu absurdum non est, restitui Principem à seipso & reuocari ad irritum, quibus non subest ratio.

tio. Imo Jure constitutum est, ut Rescripta etiam Imperatoria contra Jus elicita, ab omnibus Judicibus refutentur. *l. Rescripta. 7. C. de precib. Imperat. offerend.* Et quæ contra Jus vel utilitatem publicam postulata vel impetrata sunt, non effectu tantum careant sed & seueritate digna puniantur. *l. 5. & t. t. C. si contra Ius vel. utilitat. publ.* Certè successores non teneri aut obligari in detrimentum Reipublicæ irreparabile; verius est. Ostendit hoc multis auctorum testimoniis *Vasquius in controuersiis illustribus L. 1. cap. 4. § 1. & 4.* quam sententiam eo producit, ut contra DD. communem sententiam, ne Ecclesiæ quidem donari, concedi, alienari à Principe regnorum suorum bona cum magna regni læsione posse statuat *Cont. Illust. L. 1. c. 6. § 24.* sed quo minus ad extremum & extraordinarium hoc remedium decurratur, quin immemorialis temporis interceſſu impediri queat, vix dubitari potest. vid *Auth. quas actiones C. de Eccles.* Cumque Principibus cuncta rerum ad famam dirigenda sint, temperamentis quibusdam facile via aperiatur. e. g. si non omnia donata repetantur, sed pars siue major siue minor, prout necessitas reipublicæ efflagitauerit: si illis, qui donatis exuuntur, alii fauores Reipublicæ innoxii, quasi in vicem conceduntur: & si quæ hujus generis solatia excogitari possunt.

XI.

De *Priuilegiis* ejusdem generis disputatio est. Ponamus casum. A Principe sub & obreptitiè tot priuilegia immunitatis, à tributis & vectigalibus aliisque exactionibus, fuerint emendicata, ut fiscus & ærarium tandem nec statui Principis sustinendo, nec erogationibus publicis necessariis sufficiant. Hic quia & læsio Reipu-

blicæ

blicæ siue regni est enormissima & casus necessitatis euidentissimus, & immunitates aduersus casum insolitum & necessitatem non validè allegantur (*V. Gail. lib. 2. obseruat. 52. §. 27. & seqq.*) Videtur Princeps in eum statum redire in quo ante læsionem erat, dictante hujus juris rationem salute Reipublicæ quæ suprema lex est, cujus nutu etiam temperamenta regi debent. Nam & ea, quæ ex causa onerosa, aut ob benè merita concessa dicuntur, non statim hoc nomine æstimari fas est, cum neque hæc desinant esse gratuita, & illa sæpè titulo lucratiuo censeantur, quæ oneris nomine allegantur. qua de re nobilis est disputatio *in Francisci Kinschotii Responso XXXVIII. immunitas à vectigalibus an & qualiter vi priuilegij & concessionis principalis acquiri possit?*

XII.

Facilior erit hic casus: Si Princeps exteris concesserit priuilegia præsertim in commerciis & negotiationibus, quæ priuilegia postea incipiant ciuibus & regnicolis, totique regno damnosa fieri. Restitutus videbitur Princeps in statum quo fuit ante concessa illa priuilegia. Ita *Albericus Gentilis* de suis temporibus contendit, *de jure belli L. 3. c. 16. non fieri Hanseaticis ciuitatibus injuriam, si, quæ illis tributa sunt priuilegia ab Anglis Regibus, nunc imminuantur. Cum nec vinci possint oneroso prorsus concessa titulo, & in grauissimum ipsorum Anglorum mercatorum exeant damnum adeoq; & in iniquitatem: dum exteros meliori facerent conditione quam suos:* addenda sunt cetera quæ sequuntur. Addi possunt quæ ipsa Regina Angliæ respondit apud *Camden. part. 4. in ann. 1595. p. 652. & 653.*

XIII.

Et Aulici quidem in Anglia summam juris ratio-

nem in eo conſtituebant, ut Reipublicæ læſionem vel præueniri vel emendari, quo licet modo, fas eſſe ducant. Hinc animoſe & citra hæſitationem decernunt: *Omnes contractus cum Principe intelliguntur admittere interpretationem bonæ fidei, neq; Princeps tenetur ex ſuo contractu, quando ex juſta cauſa contractus cedit in publicum detrimentum. Princeps contractui celebrato, in cauſa reſpiciente ſtatum ſuum, non tenetur, ſi in prajudiciū & detrimentum ſubditorum vergat. omnis conuentio quantumuis jurata intelligitur, rebus in eodem ſtatu permanentibus non autem illis mutatis : Fortius obligatur Princeps Reipublicæ quàm propriæ promiſſioni. apud Camden. part. 4. ann. 1595. p. 650.*

XIV.

An & quomodo Principes vel Reſpublicæ liberæ ex contractibus cum ſubditis initis teneantur & obligentur? Interpretes ut plurimum volunt Principem ex contractu cum ſubditis inito, Jure tantum naturali ſeu gentium ex conſenſu obligari, *arg. l. cum amplius* 84. *§.* 1. *D. de R. I. junct. L. Stichum* 95. *§.* 4. *D. de ſolut. & Liber.* Non vero ciuiliter, cum ciuilibus præceptis Princeps cenſeatur eſſe ſolutus, ut videre eſt apud *Abbat. Felin. & Dec. in cap.* 1. *X. de probat.* Sed *Molin. in addit. ad Dec. in d. cap.* 1. *& Bald. ad L.* 31. *D. de L. L.* exiſtimant, Principes vel Reſp. liberas non ſolum naturaliter ſed etiam ciuiliter & efficaciter ex contractu cum ſubditis inito obligari, ne alias omni commercio eximantur. *exempl. L. quod ſi minor.* 24. *§.* 1. *D. de minor.* Cui accedit quod contractus conſtent arithmetica proportione, quæ in computatione commerciorum æqualitatem plane exigit; nec conſiderat an Rex quis ſit vel ſubditus, diues vel pauper, ſed vult, contrahentes ultro citroque æqualiter obligari,

ri, ne contractus ex altera parte claudicent. *fac. l. cum Emtor. 5. D. de rescind. vendit. L. Labeo 19. D. de V. S.* Wesenb. *paratitl. D. de Constit. Princip. n. 26.* ubi dicit, Principem instar Priuatorum ex contractibus teneri, etiam quando cum subditis contrahit. Quo in loco *Bachov in not.* statuit, ab objecto totam rem dependere, Rem enim omni dubitatione carere, si de re Principis quæratur Patrimoniali; sed si negotium & causa concernat statuta & Jura publica, non sine ratione quæri posse, an subditi sint habiles personæ, quæ cum Principe contrahere possint, & an Princeps stare conuentis teneatur, præprimis, si hæc aliqua ratione fuerint Principi à populo, arma & defectionem minitante, extorta?

XV

Si igitur de Restitutione aduersus contractus, cum subditis initos dicendum, necesse omnino est, ut de validitate contractuum constet, qui, si non obligarent, nulla opus haberent restitutione; Fundamentum nostrum esto, Principem Legibus viuere, sed publicis, maxime ea, quæ suprema est, sc. Populi salute, qua periclitante, uti Dominus est rerum priuatarum eminenter, iisque uti potest ad publicam rem, ita & multo magis restituet se, si contractu suo Rempublicam læsisse diceretur: sed nos mouemus pedem.

XVI.

In pactionibus tamen pacis etiamsi alteri parti damnosæ, liberalis nemo debet esse interpres, siue pro eo qui pactus est, siue pro successoribus. Graues sunt rationes quas *Albericus Gentilis* explicat *de I. B. l. 3. c. 22.* 1. *pactiones de pace ne fieri quidem posse nisi successores obligarentur.* 2. *has vtiles regno censeri.* damna enim quæ majo-

ris *mali* vitandi cauſa ſuſcipiuntur, exuere naturam damni & in lucro deputari. 3. *Licet inter priuatos amicitia & ſocietas ad ſucceſſores non tranſeant, juris tamen publici aliam eſſe rationem, quia populus ſemper idem cenſetur.*

XVII.

An Principes Imperij jure minorum reſtituendi veniant, diſputatur in utramque partem in conſultatione Camerali, quæ eſt apud *Klokium XXX. à pr. usque ad n.* 7. & *n.* 131. *uſque ad* 134. ſubſcribere placet affirmatiuæ.

XVIII.

Quæri etiam poteſt, an *Principes Sacri Romani Imperij Electores per priuilegium Aureæ Bullæ cap.* 13. *pro reſtitutis in integrum ipſo jure contra omnia priuilegia ipſos lædentia haberi debeant*? Ita dicendum videtur, ſi præſertim ſententia declaratoria acceſſerit. idque propter verborum perſpicuitatem, aſſeuerationem, cumulationem. Nam, an potuerit Imperator Carolus hoc facere, dubitare cum *Carpzouio* (*de L. Reg. c.* 3. *ſect.* 14. §. 24.) non audeo: cum præſertim querelam hac de re motam non legamus, & hæc lex lata ſit in præſentia omnis generis ordinum in ſolenni Curia. Accedit quod Commentatores, difficultatem, quam mouent, ipſi ſoluunt, & ad extremum fatentur, Imperatorem & Anteceſſorum & Succeſſorum ſuorum priuilegiis, etiam quæ vulgo irreuocabilia habentur, derogare ex cauſa utilitatis publicæ poſſe. Sicut videre licet apud *Arumæum*, & *Rümelinum, Mylerumq; ad c. d. A. B.* Quin autem Carolus Legiſlator exiſtimauerit, ad ſummam rempublicam pertinere, Electorum priuilegia eſſe quàm munitiſſima, nemo dubitabit, qui inſtitutum legiſlationis totius A. B. & conſilium Imperatoris expenderit.

XVIII. Gra-

XIX.

Grauiſſima omnium quæſtio eſt de Legatis & internuntiis, ſi Rex dicat: *ſe aliter & alia mandaſſe, legatos autem terminos mandati egreſſos eſſe, atque adeo ſe non teneri eorum facto, ſed potius reſtitutioni in integrum repertam apertamque eſſe viam.* Conqueretur altera pars & dicet: *Legatus attulit literas fidem facientes, quas credentiales appellant, igitur bona fides requirit, ut facto ejus obligetur Rex mittens, qui obligari ſe velle iis, quæ legatus egerit, ſemel profeſſus eſt. Si quid ſecretius & in arcano mandauit, id ſicut extra ſcientiam ejus, ad quem miſſus eſt verſatur, ita fraudi ei eſſe nec poteſt nec debet. Regis mittentis aduerſus legatum à ſe miſſum illa quæſtio eſt ſeorſim: nec rumpendis conuentis adhiberi poteſt. Iure communi inter humanas gentes receptum eſſe, ut qui præpoſitus eſt negotiis obliget præponentem ex inſtrumento generali; etiamſi fecerit contra voluntatem præponentis* ſibi ſoli ſignificatam. vid. *Grotius de I. B. lib. 2. c. 11. §. 12.*

XX.

Excipiet Rex qui miſit legatum: *mandatariorum delicto, mandantibus læſionem contrahi, citra reſtitutionem in integrum, omni æuo iniquum habitum, & legislatione plerarumque gentium ciuili vetitum. Mali exempli & publice noxij eſſe, ſi Regnorum & Rerumpublicarum ſalus à miniſtrorum, qui varie corrumpi poſſint, fide ſuſpendatur. In has anguſtias nunquam redactos eſſe Reges, neq; redigi poſſe. Vbi læſio euidens, ibi reſtitutio: non tam ex jure Iuſtinianeo, quanquam æquitatis ſtudioſiſſimo, ſed ex ipſo Naturæ atque gentium jure.*

XXI.

Ingens & per omnia negotii momenta memorabile exemplum habet hiſtoria ſuperioris ſæculi, anno 1503. Philippus Archidux Auſtriæ, cum à Socero Ferdinando

Catholico discedens, per Galliam iter destinasset & facultatem petiisset ac impetrasset pacificandi cum Rege Galliæ Ludouico XII. rem eo deduxit, ut compositis pacis conditionibus, omnia lætitia complerentur, & tam à Rege Galliæ quàm ab ipso Philippo mitteretur ad utrumque exercitum Gallicum & Hispanicum, qui in Regno Neapolitano castra castris opposita habebant, ut ab armis cessaretur pace jam confecta. Non paret Dux Hispanus, Gonsalvus: causatus, se inconsulto Rege Ferdinando hoc rerum articulo arma ponere non posse: qui & mox clade memorabili Gallos affecit, & Neapoli denique exegit. Hinc querela Regis Galliæ, qui se delusum suspicabatur, ipsiusque Philippi cum Soceris expostulatio per literas. Noluit enim ex Gallia discedere, donec hæc ignominia suo nomini, ut existimabat, facta deleretur, & publicè pateficeret, quod omnia bona fide & serio egisset. Quæ spes cum frustra habuit. Ferdinandus enim Catholicus testabatur, Philippum excessisse terminos mandati, igitur negotiatione ejus nequaquam se obligari, sed omnia sibi esse integra, idque ut demonstrarent, alios legatos misit in Galliam, qui tamen hactenus tantum admissi sunt, ut præsente Rege Galliæ, Philippus cum ipsis, & ipsi cum Philippo expostularent. Vnde Philippi ex hac contentione in morbum relapsi innocentia patuit. Vlterior autem de pace negotiatio, legatis intra triduum Gallia excedere jussis, non accepta est.

XXII.

Non acquieverit sanè aliquis *Petri Martyris de Angleria*, viri cetera grauis & prudentis, qui tum in aula Hispanica erat, judicio, qui ita refert *lib.16. Epist. 257. Galli se fuisse à nostris oppressos sub pacis umbra, quam dicunt jecisse Regio nomine Philippum, Generum Regium & Archiducem*

Lugdu-

Lugduni , cum Rege Gallorum , & voce præconum edicto per Lugdunenses plateas prolato, conqueruntur. Nostri sermones eorum derident. futilia namq; nulliusq; momenti esse ad rem, quod Lugduni per Philippum de pace fuerit actum, & tunc præcipue, quando Hispanos esse in armis ad propulsandas veteres Gallorum injurias paratos cerneret. Imparatos autem ajunt Galli se fuisse ab Hispanis interceptos, paratissimos autem nostros exiliisse ac manus conseruisse collatis signis. Nec quicquam quod ad infestissimos hostes attineat prætermisisse Gallos, nostri probant: sub induciarum aut pacis umbra, an viuo Marte id acciderit, ipsi viderint. Exitus, qui judex est rerum æternus, loquatur. Hæc dixisse, inquam, non suffecerit.

XXIII.

Cæterum à doli suspicione Ferdinandum Catholicum Regem sedulo purgat ipsa mandatorum Philippo datorum formula, *Angusta* scilicet, *& quam transilire nefas esset*, ut annotat, *Ioannes Mariana Histor. Hispan. lib. 27. c. 19.* Nam & ab initio plane recusaverat Philippo petenti facultatem pacificandi, si fortè Rex Gallus æquam videretur appetere. Neque enim satis fidebat genero, ex notis discordiis & multo minus ejus aulicis. Digresso autem Philippo statim formulam perscriptam submisit per Bernardum Builium Abbatem, qui etiam cum tractatio incepta esset, Principem monuit, ne excederet mandata, ni irrita fieri vellet, quæcunque agerentur. Philippi mirabilem confidentiam miratur *Mariana. Ille autem dicebat, se secutum prima mandata generalia scilicet subscriptione & jurejurando Regali Ferdinandi & Conjugis munita. Posteriora & Specialiora mandata per Abbatem submissa subscriptione Regia caruisse.* Elegans Quæstio: *an non submissa post mandata & voce secreti ac legalis ministri explicata, pro parte mandatorum summam negotii complexorum*

Quæstio.

rum haberi, & eandem authoritatem obtinere debeant? quam affirmativè Jurisconsulti Hispani definiuerunt. Rectè ut arbitror. Et, quæ est negotiorum humanorum fragilitas, Regem Catholicum stricto jure utentem, arduum fuerit accusare: Philippo, qui nimia fiducia, nulla fraude aut calliditate rem gessit, lubenter quiuis ignoscendum ducat; Rex Galliæ certè innoxium non credidit tantum, sed ipsis prope manibus palpauit. Gonsaluum Fernandum facilè excusant mandata quæ à Rege suo habuit accuratissima. Videatur *Pontus Heuterus Histor. Austr. lib.6. cap.5. & Speculum Honoris Austriaci Fuggerianum p.* 1141. *& Gerardus de Roo*, qui nullum partium studium ostendit *Histor. Austr. Lib.* 11. Cumque suspicionibus in re tanta & inter tantos acta locus esse nequeat, quantum ex Historia & negotii circumstantiis intelligi potest, hoc est rarissimum exemplum, ubi nihil ex ullâ parte, calumniæ quod agat, relictum est.

XXIV.

Possitne restitutioni locus esse, etiam in enormissimâ læsione, si juramentum interuenerit, quæri solet? Equidem sanctitas jurisjurandi magna religione conseruanda est, in quantum fieri potest. Quare & hic in negatiuam plurimi eunt, quos consignat *Vasquius Controv. Illust. l. i. c.2. §.17.* Quia tamen juramentum non debet esse vinculum iniquitatis, neq; bonis moribus contraria firmare, etiam in alteram partem non desunt auctoritates, ita ut hic, *communis* contra *communem* laudetur *ibidem*. Cum temperamento; *vt nimirum petatur relaxatio juramenti*, & ad eam pars citetur. ibid. videatur omnino *D.Ioh.Petr.de Ferrarijs de rest. in integ. p.*195. *&* 196. *Tom.*3. *Tractatuum de rest. in integ. D.Io.Mauric. de rest. in integ. Cap.*121. *Tom.*1.

F I N I S.

obtinere debeant?
ani definiuerunt.
rum humanorum
iure utentem, ar-
imia fiducia, nul-
, lubenter quiuis
rtè Innoxium non
ous palpauit. Gon-
andata quæ à Re-
tur *Pontus Heuterus*
ongris Austriaci Fug-
qui nullum partium
a. Cumque suspi-
acta locus esse ne-
gotii circumstantiis
emplum, ubi nihil
elictum est.

ismi in enormissimâ læ-
i solet? Equidem san-
conseruanda est, in
negatiuam plurimi
ov. Illust. l. 1. c. 2. f. 17.
et esse vinculum ini-
ria firmare, etiam in
ates, ita ut hic, *com-*
dem. Cum tempera-
juramenti, & ad eam
D. Ioh. Petr. de Ferrarijs
tatuum de rest. in in-
21. Tom. 1.

S.

rum haberi , & eandem authoritatem obtinere debeant? quam affirmativè Jurisconsulti Hispani definiuerunt. Rectè ut arbitror. Et, quæ est negotiorum humanorum fragilitas, Regem Catholicum stricto jure utentem, arduum fuerit accusare: Philippo, qui nimia fiducia, nulla fraude aut calliditate rem gessit, lubenter quiuis ignoscendum ducat; Rex Galliæ certè innoxium non credidit tantum, sed ipsis prope manibus palpauit. Gonsaluum Fernandum facilè excusant mandata quæ à Rege suo habuit accuratissima. Videatur *Pontus Heuterus Histor. Austr. lib.6. cap.5. & Speculum Honoris Austriaci Fuggerianum p.* 1141. *& Gerardus de Roo*, qui nullum partium studium ostendit *Histor. Austr. Lib.* 11. Cumque suspicionibus in re tanta & inter tantos acta locus esse nequeat, quantum ex Historia & negotii circumstantiis intelligi potest, hoc est rarissimum exemplum, ubi nihil ex ullâ parte, calumniæ quod agat, relictum est.

XXIV.

Possitne restitutioni locus esse, etiam in enormissimâ læsione, si juramentum interuenerit, quæri solet? Equidem sanctitas jurisjurandi magna religione conseruanda est, in quantum fieri potest. Quare & hic in negatiuam plurimi eunt, quos consignat *Vasquius Controv. Illust. l. i. c.2. §.17.* Quia tamen juramentum non debet esse vinculum iniquitatis, neq; bonis moribus contraria firmare, etiam in alteram partem non desunt auctoritates, ita ut hic, *communis* contra *communem* laudetur *ibidem.* Cum temperamento; *vt nimirum petatur relaxatio juramenti,* & ad eam pars citetur. ibid. videatur omnino *D. Ioh. Petr. de Ferrariis de rest. in integ. p.* 195. *&* 196. *Tom.*3. *Tractatuum de rest. in integ. D. Io. Mauric. de rest. in integ. Cap.*121. *Tom.*1.

F I N I S.

...debeant?
ani definiuerunt.
rum humanorum
iure utentem, ar-
imia fiducia, nul-
, lubenter quinis
rtè Innoxium non
ous palpauit. Gon-
mandata quæ à Re-
tur *Pontus Heuterus*
ongris Austriaci Fug-
qui nullum partium
i. Cumque suspi-
acta locus esse ne-
gotii circumstantiis
xemplum, ubi nihil
elictum est.

iam in enormissimâ la-
i solet? Equidem san-
conseruanda est, in
negatiuam plurimi
ov. Illust. l. 1. c. 2. §. 17.
et esse vinculum ini-
ria firmare, etiam in
rates, ita ut hic, *com-*
dem. Cum tempera-
iuramenti, & ad eam
D. Ioh. Petr. de Ferrarijs
tatuum de rest. in in-
..l. Tom.

S.

rum haberi, & eandem authoritatem obtinere debeant? quam affirmativè Jurisconsulti Hispani definiuerunt. Rectè ut arbitror. Et, quæ est negotiorum humanorum fragilitas, Regem Catholicum stricto jure utentem, arduum fuerit accusare: Philippo, qui nimia fiducia, nulla fraude aut calliditate rem gessit, lubenter quiuis ignoscendum ducat; Rex Galliæ certè Innoxium non credidit tantum, sed ipsis prope manibus palpauit. Gonsaluum Fernandum facilè excusant mandata quæ à Rege suo habuit accuratissima. Videatur *Pontus Heuterus Histor. Austr. lib. 6. cap. 5. & Speculum Honoris Austriaci Fuggerianum p.* 1141. *& Gerardus de Roo*, qui nullum partium studium ostendit *Histor. Austr. Lib.* 11. Cumque suspicionibus in re tanta & inter tantos acta locus esse nequeat, quantum ex Historia & negotii circumstantiis intelligi potest, hoc est rarissimum exemplum, ubi nihil ex ullâ parte, calumniæ quod agat, relictum est.

XXIV.

Possitne restitutioni locus esse, etiam in enormissimâ læsione, si juramentum interuenerit, quæri solet? Equidem sanctitas jurisjurandi magna religione conseruanda est, in quantum fieri potest. Quare & hic in negatiuam plurimi eunt, quos consignat *Vasquius Controv. Illust. l. i. c. 2. §. 17.* Quia tamen juramentum non debet esse vinculum iniquitatis, neq; bonis moribus contraria firmare, etiam in alteram partem non desunt auctoritates, ita ut hic, *communis* contra *communem* laudetur *ibidem*. Cum temperamento; *ut nimirum petatur relaxatio juramenti*, & ad eam pars citetur. ibid. videatur omnino *D. Ioh. Petr. de Ferrarijs de rest. in integ. p.* 195. *&* 196. *Tom.* 3. *Tractatuum de rest. in integ. D. Io. Mauric. de rest. in integ. Cap.* 121. *Tom.* 1.

F I N I S.

...obtinere debeant?
...ani definiuerunt.
...rum humanorum
... iure utentem, at-
...imia fiducia, nul-
..., lubenter quiuis
...rtè Innoxium non
...bus palpauit. Gon-
...mandata quæ à Re-
...tur *Pontus Heuterus*
...Congris Austriaci Fug-
...qui nullum partium
...i. Cumque suspi-
... acta locus esse ne-
...gotii circumstantiis
...exemplum, ubi nihil
...elictum est.

...iam in enormissimâ le-
...i solet? Equidem san-
... conseruanda est, in
... negatiuam plurimi
...ov. Illust. l. 1. c. 2. §. 17.
...et esse vinculum ini-
...ria firmare, etiam in
...ates, ita ut hic, *com-*
...dem. Cum tempera-
...iuramenti, & ad eam
...D. Ioh. Petr. de Ferrarijs
...Etatuum de rest. in in-
...21. Tom. 1.

S.

rum haberi, *& eandem authoritatem obtinere debeant*? quam affirmativè Jurisconsulti Hispani definiuerunt. Rectè ut arbitror. Et, quæ est negotiorum humanorum fragilitas, Regem Catholicum stricto jure utentem, arduum fuerit accusare: Philippo, qui nimia fiducia, nulla fraude aut calliditate rem gessit, lubenter quiuis ignoscendum ducat; Rex Galliæ certè Innoxium non credidit tantum, sed ipsis prope manibus palpauit. Gonsaluum Fernandum facilè excusant mandata quæ à Rege suo habuit accuratissima. Videatur *Pontus Heuterus Histor. Austr. lib.6. cap.5. & Speculum Honoris Austriaci Fuggerianum p.* 1141. *& Gerardus de Roo*, qui nullum partium studium ostendit *Histor. Austr. Lib.* 11. Cumque suspicionibus in re tanta & inter tantos acta locus esse nequeat, quantum ex Historia & negotii circumstantiis intelligi potest, hoc est rarissimum exemplum, ubi nihil ex ullâ parte, calumniæ quod agat, relictum est.

XXIV.

Possitne restitutioni locus esse, etiam in enormissimâ læsione, si juramentum interuenerit, quæri solet? Equidem sanctitas jurisjurandi magna religione conseruanda est, in quantum fieri potest. Quare & hic in negatiuam plurimi eunt, quos consignat *Vasquius Controv. Illust. l. 1. c.2. §.17.* Quia tamen juramentum non debet esse vinculum iniquitatis, neq; bonis moribus contraria firmare, etiam in alteram partem non desunt auctoritates, ita ut hic, *communis* contra *communem* laudetur *ibidem*. Cum temperamento; *ut nimirum petatur relaxatio juramenti*, & ad eam pars citetur. ibid. videatur omnino *D. Ioh. Petr. de Ferrarijs de rest. in integ. p.* 195. *&* 196. *Tom.*3. *Tractatuum de rest. in integ. D. Io. Mauric. de rest. in integ. Cap.* 121. *Tom.* 1.

F I N I S.